

PROOEMIUM

Definitio. — Pneumatologia (ex graeco πνεῦμα, *ratio, substantia rationalis, spiritus*; et λόγος, *sermo, dissertatio*) dicitur illa philosophiae pars, quae in exploranda natura spirituum immoratur.

Declaratio definitionis. — Vox *spirituum*, qua in alata definitione usi sumus, secernit Pneumatologiam, non solum a Cosmologia, sed etiam a Theologia. Revera, etsi Deus in ipsa Scriptura spiritus vocatur, ut edoceamur ipsum omnem naturam materialem excedere, et quidquid perfectionis in spiritibus invenitur, in ipso quoque inveniri; nihilominus certum est, ob infinitam suam perfectionem, Deum transcendere omne genus substantiarum, ac proinde neque inter corpora, neque inter spiritus, stricte loquendo, recenseri posse. Deus est *Qui est*, nec aliud nomen magis proprium illi tribui potest: enimvero qui dicit *corpus* vel *spiritum* ponit limitem in esse; natura autem divina necessario praetergreditur quemcumque limitem.


Divisio. — Spiritus in duas praecipuas classes distribui solent. Prima *animas intellectivas* seu *humanas* continet, quae, licet naturam spiritualem sortitae sint, tamen materiae coniunguntur: altera continet naturas illas creatas, nulli materiae addictas, quae *formae separatae, intelligentiae purae*, vel etiam *angeli*, nuncupantur.

Animae intellectivae, eo quod materiae coniunctae, res plerumque laboriose intelligunt per discursum, seu per ratiocinium: verum formae separatae, eo quod separatae, expeditiores evadunt in suis intellectionibus; ipsae enim non

ratiocinantur, sed simpliciter intelligunt; quocirca magis proprie *intelligentiae* vocantur.

In his habes rationem divisionis, quam tradimus, Pneumatologiae in duas partes: quarum prima complectitur tractationem de animabus intellectivis, et appellari consuescit *Psychologia superior* vel *Anthropologia*; altera complectitur tractationem de intelligentiis puris, et appellari potest *Angelologia*.

PARS PRIMA



DE ANIMABUS INTELLECTIVIS.

Existencia in homine cuiuspiam principii materia praestantioris iam satis explorata videtur post ea quae in secunda et in tertia Cosmologiae parte exposuimus: homo enim habet commune cum plantis vegetare, cum brutis sentire. Restat igitur ut inquisitioni subiiciatur utrum in homine reapse existat principium, non solum praestantius materia, sed a materia etiam independens, cuius gratia ipse transcendit omnes naturas materiales, naturasque omnino spirituales attingit.

Procul dubio inquisitio haec, ratione habita gravitatis suae, antevertere deberet caeteras alias in praesenti tractatione: at, nolentes recedere a methodo qua in Cosmologia usi sumus, ante omnia, ductu observationis, recensebimus operationes et facultates quibus homo discriminatur ab animalibus inferioribus: deinde ex professo discutiemus genuinam naturam earundem, et ab illa discussione liquido scaturient spiritualitas caeteraque spectantia ad naturam propriam animae humanae.

CAPUT I.

DE FUNCTIONIBUS ET FACULTATIBUS ANIMARUM INTELLECTIVARUM



Homo, praeter functiones communes etiam viventibus inferioribus, exerit alias operationes longe nobiliores, quae eum ponunt velut in confinio inter substantias materiales